



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno CCCCII. ad annum CCCCXXX.

**Parisiis, 1644**

Epistola XX. Innocentii Papae I. Ad Lavrentivm Episcopvm Seniensem.  
Photini haeresis sectatores omni diligentia expelli praecipit.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14918**

Acacius Berœensis episcopus.

<sup>a</sup> *Ad Acacium.*] Hic est ille Acacius Berœensis episcopus, de sancto Chrysostomo pessime meritus; qui quod deinceps Innocentio in omnibus paruisset, apud Atticum Constantinopolitanū, nomen Chrysostomi ann. 412. in diptycha referri impetrasset, post obitum Theophili in catholica ecclesiæ communionem sæpe expetitam recipi promeruit. Sed infelix, oborta postea hæresi Nestoriana, aduersus Cyrillum & alios orthodoxos fortiter dimicans, labem abolitam, quam ex persecutione in Ioannem agitata fœde contraxerat, duplo auxit. Baron. ann. prædicto num. 37. & 38.

## EPISTOLA XX.

## INNOCENTII PAPÆ I.

AD LAURENTIVM EPISCOPVM SENIENSEM.

Photini hæresis sectatores omni diligentia  
expelli præcipit.

*Innocentius Laurentio episcopo Seniensi.*

**D**IV mirati sumus, dilectionis tuæ literis lectis, hæreticos Photini venena sectantes, in territorio dilectionis tuæ non solum esse, sed & publice sibi conuenticula in aliquorum possessionibus præparare, cum de toto pene orbe nusquam tam multi, quam apud vos, delegerint habitare. Quorum doctrinæ nefariæ auctor Marcus, dudum de vrbe pulsus, temeritatis tantæ ductus est audacia, vt primum sibi inter eos vendicet locum. Sed ne vltius debacchandi habeant facultatem, & animas simplicium ac rusticanorum secum in gehennam, cui destinati sunt, trahant, actum est aduersus eos a defensoribus ecclesiæ nostræ, quod eos possint expellere, vt qui Christum Deum ex patris substantia ante sæcula negant genitum, hi cum Iudæis, qui eius deitatem negauerunt, & nunc vsque negant, participium habeant damnationis. Tuum est, frater carissime, quæ præcepta sunt, non segnius agere, ne plebem tibi creditam dissimulatione deperdas, & incipias Deo de perditis reddere rationem.

EPI-